Alter, cui nomen Miſſiſipus, per vaſta, & ignota magnam adhuc partem, terrarum ſpatia fertur à Septentrione in Meridiem. Habent hoc ſingulare hujus regionis fluvii, quod certis in locis ex editiore ſolo præcipitant in humiliorem planitiem ingenti cum ſtrepitu. Ea loca ſaltus vocant Franci. Catadupa recte dixeris, qualia in Nilo celebrantur. Aqua tota fluminis, in morem arcuati fornicis, ita ſæpe cadit, ut infra ſuſpenſum altè amnem ſicco veſtigio tranſire liceat. Barbari, cum huc ventum eſt, ſuas naviculas, è levi compactas cortice, imponunt humeris, & in placidam fluminis, alveo depreſſiore fluentis, partem eas deportant, cum ſarcinulis. Urbs Novæ Franciæ primaria Kebecum nuncupatur, S. Laurentii fluvio impoſita. Cœlo ſalu-